



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quinam illo tempore Episcopi ecclesiarum gubernationi praefuerint. Cap.
III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

Gratianus simul cum Valentiniano iuniore gubernaculis potitus imperii, crudelitatem Valentis auunculi in Christianos vsurpatam damnauit: illosque, qui ab eo erant relegati, reuocauit in patriam, atque adeo lege sancit, ut quæque secta (solis Eunomianis, Photinianis, & Manichæis exceptis) liberè & audacter, nullo habito discrimine, in ecclesiis conuentus ageret. Ac cum imperium Romanum languens ægrumque esse, & barbarorum vires in dies crescere, & ad remp. gubernandam viro nobili excelsoque animo prædito opus habere animaduerneret, Theodosium ex Patritiis Hispaniæ ortum, in bello administrando admodum exercitatum, & propterea iam pridem ad imperium capeffendum valde idoneum, atque etiam ante ipsius Gratiani creationem, omnium suffragiis ad imperij administrationem delectum, socium imperij sibi adiungit. Illum igitur Sirmii (est hæc quidem ciuitas Illyriæ) declarat imperatorem, Aufonio & Olybrio Cofs. xvij. Calend. Februarij, cumque eo certamina belli contra Barbaros gerendi dispartit.

Quinam illo tempore Episcopi ecclesiarum gubernationi præfuerint.

CAP. III.

Eodem tempore ecclesiæ Romanæ Damasus, qui Liberio succedebat, præfuit: Hierosolymitanæ autem Cyrillus. Ecclesia Antiochena in tres factiones, ut dixi, diuisa fuit. Nam quasdam ecclesias Dorotheus Arianus post Euzoium rexit: alias partim Paulinus, partim Meletius ab exilio reuocatus, gubernauit. Alexandria, ecclesias Arianorum Lucius, qui iam exulabat, ecclesias autem eorum, qui fidem Consubstantialis tenebant, Timotheus post Petrum administravit. Constantinopoli ecclesiarum obtinuit procurationem Demophilus, qui post Eudoxium sectæ præfuit Arianae. Qui verò eius detestabantur doctrinam, separatim inter se conuentus celebrarunt.

Quòd Macedoniani qui dudum ad Damasum Episcopum Romanum de consubstantiali stabiliendo legatos